

Unde fit, ut cum Pastor per abrupta graditur, ad praecipitium grex sequatur. Hinc namque per Prophetam Dominus contra contemptibilem Pastorum scientiam queritur, dicens: cum ipsi limpidissimam aquam biberetis, reliquam pedibus vestris turbabatis; et oves meae qua conculcata pedibus vestris fuerant, pascebantur; et quae pedes vestri turbaverant, haec bibebant. Aquam quippe limpidissimam Pastores bibunt, cum fluentia veritatis recte intelligentes hauriunt. Sed eandem aquam pedibus perturbare, est sanctae meditationis studia male vivendo corrumpere. Aquam scilicet eorum turbatam pedibus oves bibunt, cum subjecti quique non sectantur verba, quae audiunt, sed sola quae conspiciunt exempla pravitatis imitantur. Qui cum dicta sitiunt, quia per opera pervertuntur, quasi corruptis fontibus in potibus lutum sumunt. Hinc quoque scriptum est per Prophetam: laqueus ruinae populi mei, sacerdotes mali. Hinc rursus de sacerdotibus Dominus per Prophetam dicit: facti sunt domui Israël in offendiculum iniquitatis. Nemo quippe amplius in Ecclesia nocet, quam qui perverse agens, nomen vel ordinem sanctitatis habet. Delinquentem namque hunc redarguere nullus praesumit; et in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reverentia ordinis peccator honoratur. Indigni autem quique tanti reatus pondera fugerent, si veritatis sententiam sollicita cordis aure pensarent, quae ait: qui scandalizaverit unum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris. Per molam quippe asinariam, secularis vitae circuitus ac labor exprimitur: et per profundum maris extrema damnatio designatur. Qui ergo ad sanctitatis speciem deductus, vel verbo ceteros destruit, vel exemplo; melius profecto fuerat, ut hunc ad mortem sub exteriori habitu terrena acta constringerent, quam sacra officia in culpa ceteris imitabilem demonstrarent: quia nimirum si solus caderet, utcumque hunc tolerabilior inferni poena cruciaret.